

Similiter dicendum de ministro haeretico vocando ad ritus funebres defuncto persolvendos. (Konings, I. n. 313)

De heterodoxis ad caerimonias catholicas admittendis dicetur Vol. II. n. 583.

#### CAPUT IV.

##### DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

###### § 1. DE INFIDELITATE.

**202. NOTIONES.** Infidelitas seu *carentia fidei* triplex distinguitur, quamvis alii alium sensum iisdem vocibus tribuant :

1º *Negativa*, seu status illius qui numquam aliquid de vera religione audivit, vel, si quid audivit, bona fide putavit non esse attendendum.

2º *Privativa*, seu status illius qui, licet fides ei nondum sufficienter proposita fuerit, aliquam tamen ejus notionem accepit et culpabiliter neglegens fuit in quaerenda sufficienti fidei propositione.

3º *Contraria*, seu status illius qui positive respuit fidem sufficienter sibi propositam.

Hae variae significaciones, quarum ultima omnino propriam vitii infidelitatis notionem tradit, referuntur ad verae fidei propositionem *nullatenus, incomplete vel plene infidieli factam*. Sub alio respectu, nempe errorum qui veritatibus fidei ab infidieli praeponuntur, distinguuntur in Paganismum, Judaismum, Mahometismum, Deismum, Atheismum, etc.

**ASSERTA. I.** Infidelitas *negativa* non est peccatum, ut liquet e principiis de ignorantia datis. Error contrarius damnatus fuit in prop. 68ª Baii : " Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est praedicatus, peccatum est. „Est tamen peccati poena, quae ex peccato primi parentis consecuta est. (2. 2. q. 10. a. 1)

**II.** Infidelitatis *privativae* reatus mensurandus est ex gravitate negligentiae in inquirenda veritate fidei catholicae. Ut adsit gravis obligatio inquirendi, requiritur prudens dubium de errore sectae in qua quis versatur.

**III.** Infidelitas *contraria* est peccatum mortale ex toto genere suo, ob gravem injuriam quam Deo revelanti infert, ut per se patet.

###### § 2. DE HAERESI ET APOSTASIA.

**203. NOTIONES.** *Haeresis* est error liber et pertinax contra fidem in eo qui fidem suscepit. Haec est definitio *haeresis formalis*; *materialis* autem in eo consistit quod aliquis, post fidem susceptam, errorem aliquem objectivum contra fidem catholicam sine pertinacia admittat vel affirmet.

Ad *formalem* haeresim constituendam requiritur :

1º Error contra fidem seu contra veritatem quae in verbo Dei scripto vel tradito continetur, et ab Ecclesia, sive sollempni judicio, sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata credenda proponitur. (Cone. Vat. c. 3. de Fide) Igitur haereticus foret qui negaret quamlibet veritatem *manifeste* in Scriptura contentam : Ecclesia enim proponit credenda ea omnia quae in Scriptura continentur. (Lugo, de Fide, disp. 20. n. 58) Qui vero negaret quod falso putaret ab Ecclesia proponi ut revelatum, malitiam quidem internam haeresis contraheret : judicaret enim in corde suo Ecclesiam errare posse. Sed donec judicium istud proferret, non esset in foro externo habendus ut haereticus cum nullam haeresim protulisset. (Suar. de Fide, disp. 19. sect. 5. n. 17) Tandem nullatenus haereticus foret qui negaret veritatem quam Ecclesia infallibili magisterio suo proponeret, sed non ut revelatam, ex. gr. hunc hominem canonizatum inter Caelites versari.

2º *Error liber* : nam, licet haeresis consummetur in intellectu per errorem seu judicium erroneum, malitia ejus formaliter residet in actu voluntatis.

3º *Pertinacia*, quae essentialiter in hoc consistit quod aliquis judicium hoc erroneum retine, sciens contrarium teneri ab Ecclesia cui suum judicium ob vanam gloriam, libidinem contradicendi etc. praefert. Non requiritur ergo, in foro interno, ut diu in hoc errore perstet vel eum acriter tueatur. At immunis est a peccato haeresis quisquis paratus est judicium suum Ecclesiae judicio submittere, licet ex ignorantia, etiam culpabili et crassa, sententiam suam mordicus tueatur. (S. Alph. I. 3. n. 19) Haec pertinacia adesse potest etiam in eo qui veritatem fidei *in dubium revocat*, licet non positive neget. Ideo haeresim admittit qui positive de tali veritate dubitat; ipse enim vel formaliter vel virtualiter judicat dogma ab Ecclesia propositum esse incertum, ideoque Ecclesiae auctoritati refragatur. Sub hac forma, nostris praesertim diebus, saepissime hoc peccatum committitur, dicendo ex. gr. : Quis novit num detur alia vita post istam? Quomodo constat quod Ecclesia de inferni poenis docet? Manifestum est abesse omnem pertinaciam ubi aliquis

mere negative dubitat judiciumque suspendit, animum ad alia converrens, ex. gr. ne mentem fatiget. (Ball. P. n. 131)

Ex his declarationibus patet formalem haereticum minime fore qui fidei articulum externe neget, interno assensu credat: is tamen graviter peccat contra praeceptum fidei profitendae.

4º *Susceptio verae fidei*. Nam si quis Judaeus aliasve infidelis eundem errorem assereret objective contrarium fidei catholicae, haec non censeretur haeresis, sed pars Judaismi aliasve erroneae doctrinae cui adhaereret.

**Apostasia** est defectio a vera fide quam quis antea professus sit. Potest autem hujusmodi defectio contingere dupli ratione, nimurum transeundo vel ad sectam haereticam vel ad infidelitatem. In neutro casu peccatum specificum differt a professione ejusdem sectae haereticae vel infidelitatis in eo qui numquam veram fidem professus sit. (Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 295).

**204. ASSERTA. I.** Haeresis *formalis* est peccatum e toto genere suo mortale. Semper enim gravi injuria afficit veritatem et sapientiam divinam.

**II.** Haeresis *materialis*, suberto dubio, erit leviter vel graviter culpabilis pro reatu neglegentiae in veritate inquirenda; si nullum dubium prudens ortum est, prorsus culpa vacat.

Hinc patet quid sentiendum sit de condicione eorum qui in secta aliqua acatholica educati sunt. Hi mere materialiter haeretici sunt, neque contra fidem peccant quamdiu, dogmata saltem maxime necessaria credentes, de sectae suaे veritate nullatenus dubitant. Quodsi, oberto dubio probabili, veritatem inquirere neglegunt, peccant quidem, sed nondum fiunt formaliter haeretici, si neglegentia illa oritur tantum ex incuria vel timore inveniendi veritatem quam agnitam non auderent respuere. Formaliter haeretici fiunt si veritatem sufficienter propositam respuunt vel eam inquirere neglegunt, cum hac dispositione quod, etiamsi eam agnoscerent, nollent ei adhaerere. (Lehmk. I. n. 301)

**III.** Specie non differunt variae haereses mente admissae vel verbo prolatae, quippe quae omnes eamdem injuriam divinae auctoritati inferant. Neque etiam, sub hoc respectu, differunt specie variae sectae quas aliquis professus sit; eaedem tamen distinguuntur in ordine ad confessionem, quatenus opponuntur religioni. Nam singulae sectae includunt alias caerimonias vel ritus continentia malitiam specie diversam, ex. gr. Calvinismus usum sacramenti invalidi in Eucharistia, Judaismus circumcisionem, Paganismus idolatriam, etc. Qui autem sectam ample-

titur, eo ipso proponit facere peccata specie diversa quae in illius professione includuntur. (Lugo, l. c. n. 292)

### § 3. DE LIBERALISMO.

**205.** Liberalismus, tamquam *doctrina spectatus*, est sistema politico-religiousum quod plenam independentiam Status ab Ecclesia vel Religione profitetur: quae plena independentia eo usque progrediatur ut Status se regat nullo habito ad Ecclesiam vel Religionem respectu, quasi haec non existeret. Nullam ergo admittit Ecclesiae auctoritatem in Statum, ne in iis quidem quae ad illius finem pertinent vel ab eadem tamquam sua vindicantur, ut matrimonium, bona ecclesiastica, etc. Hoc sistema infallibili auctoritate sua reprobavit Pius PP. IX Encycl. litt. *Quanta cura* (8 Déc. 1864). Similiter Leo PP. XIII Encycl. litt. *Libertas* (20 Jun. 1888), ubi: "Mitiores aliquanto sunt, sed nihil sibi magis constant, qui aiunt nutu legum divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse privatorum, non tamen civitatis: in rebus publicis fas esse a jussis Dei discedere, nec ad ea ullo modo in condendis legibus intueri. Ex quo perniciosum illud gignitur consectarium, civitatis Ecclesiaeque rationes dissociari oportere."

Ut autem statuatur quale peccatum contra fidem committat qui liberalismum profitetur, sedulo inspiciendum est quid praecise per illam professionem suam intellegat, cum inter eos qui non penitus ad atheismum vel rationalismum deflexere et catholici manere volunt, infinita varietate haec liberalismi vox accipiatur; deinde videndum quousque ignorantia et bona fide a formalii peccato quisque excusetur. Haec breviter indicasse sufficiet:

1º Haereticus est qui plene amplectitur liberalismi doctrinam seu ejus suprema capita, puta plenam, sensu supradicto, independentiam Status ab Ecclesia vel (quod pejus est) subjectionem Ecclesiae Status auctoritati. Nam aliqua subordinatio Status ad Ecclesiam manifeste continetur in plena potestate qua Christus Petrum ejusque successores instruxit: quod jampridem Bonifacius PP. VIII in Bulla *Unam sanctam* definit.

2º Idem dicendum est de iis liberalibus qui pertinaciter tenent doctrinas quasdam particulares quae etiam fidei divinae adversantur, ex. gr. eam quae proscripta est prop. Syllabi 73<sup>a</sup>: "Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium..."

Saepe ab haeresi excusantur catholici qui hos errores tuerunt propter ignorantiam, quae tamen plerumque culpabilis est; immo haeresim veram committerent qui diserte animum gererent haec prava dogmata retinendi, etiamsi ea ab Ecclesia reprobata esse nossent. (n. 203)

3º Non esset haereticus, sed graviter contra oboedientiam Ecclesiae debitam peccaret, qui non teneret fundamentalem doctrinam liberalismi, sed tantum errorem aliquem secundarium, ab Ecclesia quidem reprobatum, minime tamen fidei divinae contrarium, puta prop. 76<sup>am</sup> Syllabi : " Abrogatio civilis imperii, quo Ap. Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret. " Cfr. Ball. P. n. 168 seqq.

Facilius in hoc argumento aliqua bona fides admitti potest, cum doctrina ipsa de relationibus inter Ecclesiam et Statum minime obvia sit multique confundant *praxim tolerandam* cum *theoria reprobanda*. Cfr. Villada, Casus cons. I. p. 39. Si qui vocantur liberales vel has partes politicas sequuntur, aliunde tamen boni catholici officia explere videntur, prudenter erit explorandum num in doctrina vel agendi ratione aliquid mali admittant vel sine sufficienti causa malis aliorum consiliis cooperentur, quod crebro, non tamen semper, contingit. Cfr. etiam dicenda de electionibus, n. 359.

## SECTIO II. — DE SPE.

**206. NOTIONES.** Spei nomine hic intellegimus virtutem supernaturalem qua inclinamur ad exspectandum a Deo cum certa fiducia aeternam beatitudinem et auxilium quo ad eam perveniamus.

De natura ejus virtutis plura vides apud Dogmaticos vel Ball. P. (nn. 1-28), e quibus pauca tantum pro scopo nostro recensebimus.

Objectum *materiale* primarium spei est aeterna beatitudo : quam cum assequi possimus tantum per auxilium divinum, hoc quoque, sicut medium ad finem, vocatur objectum *materiale secundarium*. (2. 2. q. 17. a. 4) De objecto autem formalis ejusdem virtutis multa disputant Theologi, quae potius in modum rei concipiendae quam in rem ipsam disserunt inducunt : probabilius constituendum est in divina bonitate et omnipotencia conjunctis cum fidelitate Dei promissis suis. Certitudo spei sequitur certitudinem fidei et refertur ad haec tria : certitudinem divinae ordinantis, certitudinem divini auxilii, infallibilem ordinem inter duo ista et boni sperati assecutionem. Haec tamen certitudo non impedit quominus salutem nostram cum timore et tremore operemur (Philip. II, 12) : nam scimus fieri posse ut, per accidens, propter malum usum liberi arbitrii nostri, bonum speratum minime assequamur. (Ball. P. n. 23 seqq.)

**207. ASSERTA.** De actu spei, sive ex necessitate medii, sive ex necessitate praecepti eliciendo, fere eadem statuenda sunt quae supra de fidei actu diximus.

**I.** Actus spei adultis necessarius est *de necessitate medii*. Nam finem suum supernaturalem consequi debet homo meritis suis per auxilium Dei acquirendis : sed nequit ad hunc finem se mouere nisi speret hanc aeternam beatitudinem et auxilium Dei sine quo illam assequi nequeat. Cfr. Trid. Sess. 6. c. 6.

**II. Praeceptum spei eliciendae obligat per se :**

1º Cum homo fide illustratus ad usum rationis pervenit, eo sensu quod tunc multum tempus elabi nequit quin occurrat occasio in qua se per actum spei ad Deum convertere debeat.

2º In tentatione contra spem quae aliter vinci nequeat.

3º Post actum desperationis : nam aliter ab hoc recedere nequit.

4º Aliquando in vita : quod tamen ulterius determinare nec possibile, nec necessarium est. Damnata est ab Alex. VII prop. 1<sup>a</sup> : " Homo nullo umquam vitae sua tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi praceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. "

**III. Praeceptum spei eliciendae obligat per accidens :**

1º Quando aliqua tentatio contra aliam virtutem non posset aliter superari.

2º Quando urget aliud praeceptum, ex. gr. orationis, poenitentiae, etc. quod sine actu praevio spei impleri nequeat.

Cum autem praeceptum spei plane satisfiat per actus virtuales, practice qui reliqua praecettae, praesertim orationis, implent, et illud servant. (Ball. P. n. 41)

**208. Spei extreme opponuntur desperatio, per defectum, et praesumptio, per excessum. De utroque peccato breviter dicendum.**

**1º Desperatio** est deliberata spei abjectio eo quod homo judicat beatitudinem a se comparari non posse, ex. gr. quia opinatur Deum nolle dare gratias necessarias ad passiones vincendas.

Hoc peccatum est mortale ex toto genere suo : eo quod vehementer injuriam infert Dei bonitati et fidelitati. Saepe tamen, ex imperfectione actus, venialis fit, cum animus in gravi tristitia non soleat esse plene sui compos.

**2º Praesumptio** duplex a S. Th. (2. 2. q. 21. a. 4) distinguitur : " Una quae innititur propriae virtuti, attentans scil. aliquid ut sibi possibile, quod propriam virtutem excedit...alia... quae innititur inordinate divinae